



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 67. Quatuor abusus circa sacri Codicis versiones præcipue observati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI. trum Prædicatorum. Præscriptum est
A.C. 1546. insuper Theologis, ut bis saltem singu-
 lis mensibus privatim, invitatis etiam,
 quotquot poterunt, aliis Episcopis con-
 venirent, ut istorum quoque consiliois
 adjuvarentur, ea tamen lege, ut cun-
 cta ibidem agitata religioso silentio pre-
 merent. His ita statutis die decima
 septima Martii Congregatio fuit habita,
 in qua præfati Doctores ex sacris Lite-
 ris ea, quæ ab aliis suis corrupta su-
 spicabantur, loca referebant, simul-
 que remedia opportune adhibenda pro-
 ponebant.

§. LXVII.

*Quatuor abusus circa sacri Codicis
 versiones præcipue observati.*

Pallav. n. 3. Rem totam prius Aquensis Episcopus
 breviter exposuit, postea vero Bi-
 tuntinus Episcopus utpote facundior
 prolixius peroravit: igitur hi præcipue
 quatuor abusus, qui in sacræ Paginæ
 versiones irrepserant, annotarunt. Pri-
 mus erat *tanta versionum varietas*, qua
divini Verbi veritas reddebatur incerta.
Huic malo visum erat occurri posse unica ex
cunctis versionibus, tanquam legitima consti-
tuta, ea videlicet, quæ maximam obtinebat
authoritatem ex Ecclesiæ usu communi, adeo-
que vulgata nuncupabatur.

Alter

Alter fuit mendorum copia, quæ Biblia Sæcul. XVI.
tam Latina, quam Graeca & Hebraica con- A.C. 1546.
taminaverant. His non aliter dicebatur
prospici posse, quam si Pontifex ea denuo
diligenter corredita typis edenda curaret, eo-
rumque exemplar singulis Episcoporum Se-
dibus traderet.

Tertio loco obseruarunt, suo quemque
arbitratu divinas Literas detorquere. Ad
hanc licentiam coercendam leges propositæ,
quibus cavebatur, ne Scriptura declarare-
tur, nisi ex antiqua Ecclesiae ac Patrum
sententia, & ne hujusmodi opera vulgaren-
tur absque Ecclesiasticorum Censorum per-
missu.

Postremus erat Typographorum vitium,
qui sacra volumina imprimebant desumpta
ex corruptis exemplaribus, simulque pravas
interpretationes adjiciebant. Huic vitio
prospectum putarunt, si illis gravi multâ
pecuniaria, aliisque ex arbitrio pœnis inter-
diceretur hujusmodi librorum impressio, nisi
obtenta ab Ordinariis facultate, auctorum-
que nomine libris apposito.

Hujusce generis multam improbarunt
Episcopus Asturiensis, & Archiepiscopus
Panormitanus, eaussati, Ecclesiae non licere
Laicis pecuniae multam irrogare.

Unde haud operiosius hæc cauſa ur-
gebatur.

§. LXVIII.